



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum prima substantia sit idem quod suppositum, aut persona
vel hypostasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

declaramus, in quo differat eius informatio ab in-
herentia accidentis.

Quæstio autem fere de nomine erit, an diuisio
substantiæ in primam & secundam locum habeat
tantum in composito, vel etiam in partibus. In qua
dicendum est, loquendo simpliciter de substantia
prima, & proportionaliter de secunda, solum dici
de substantia completa, & quæ ponitur in recta li-
nea prædicamentali, nam hæc diuisio data est ad il-
lam lineam constituendam, assignato veluti funda-
mento eius quæ est prima substantia: Item quia sub-
stantia completa est, quæ proprie subsistit, operatur,
& subsistit, & de qua proprie accidentia prædicantur.
At vero, latius loquendo de substantia, non est du-
bium quin illa duo membra secundum quædā pro-
portionalem participationem in materia & forma
inueniantur: nam anima rationalis verbi gratia sub-
stantia est, & simpliciter dicta non est indiuidua sub-
stantia & singularis. Unde licet in subiecto non sit,
de subiecto dicitur, puta de hac, vel illa anima rati-
onali, hæc autem anima est singularis, vt nec fit in
subiecto nec dicitur de subiecto: ergo seruata pro-
portione habet in ea locum eadem diuisio. Atque i-
dem est proportionaliter de materia, quæ sub ratio-
ne etiam vniuersali concipi potest: vel generica,
vel specifica, & vt est hæc indiuidua materia seu hoc
corpus. Atque hoc certe satis indicauit Aristote-
les in prædicamento substantiæ, vbi cum dixisset
commune esse omni substantiæ in subiecto non ef-
fe, declarat, hoc etiam partibus substantiæ conuenire,
quoniam substantiæ sunt, subintelligit ergo eo
modo quo sunt substantiæ, posse etiam primas & se-
cundas appellari. Denique idem est de intentione vni-
uersalis & singularis, nam, licet vt sumuntur in li-
nea recta prædicamentali tantum sint in rebus com-
pletis, latius tamen & proportionaliter loquendo,
etiam in partibus reperiuntur, vt ex communi in-
gido concipiendi, prædicandi, & diuidenti est per se
evidens, & in superioribus etiam ratum est. Atque
iuxta hunc modum loquendi prima & secunda sub-
stantia non solum de completa, sed etiam de incom-
pleta, dici potest: verum quidem est, minus improp-
rie tribui nomen primæ substantiæ materiæ pri-
mæ quæ formis materialibus, quia materia subsistit
aliquo modo: formæ autem materiales non subsistunt,
vt infra videbimus. Omisissis autem his impropriis lo-
cutionibus ratio primæ substantiæ declaranda nobis
est in substantiis completis: & in hoc sensu semper
hæc voce vtemur. Obiter tamen explicabimus
qualiter in partibus substantiæ eius ratio partici-
petur.

DISPUTATIO XXXIV.

*De prima substantia, seu supposito eiusque à na-
tura distinctione.*

EX his quæ in præcedenti disputatione
diximus fere omnia, quæ de substan-
tiæ prædicamento Aristoteles vbiq;
tradit præter quædam pure dialectica,
quæ de prædicationibus substantiarum
secundarum de primis, in prædicamento substantiæ
docet, quæ & difficultatem alicuius momenti non
habent, & vt dixi dialecticorum sunt propria. Quæ
vero ibidem differit de tribus proprietatibus substan-
tiæ, quæ aliquo modo reales sunt, videlicet non ha-
bere contrarium, non suscipere magis aut minus,
esseque contrariorum susceptiuam, hæc (inquam)
omnia aliis locis à nobis explicantur. Nam de duo-
bus primis ac negatiuis proprietatibus differimus
in prædisputat. 45. & 46. oppositas proprietates in
qualiter declarando, & ibi etiam obiter attingimus
quomodo idem sit susceptiuum contrariorum, sed

præcipue de hac re dictum est supra Disput. 14. tra-
ctando de causa materiali accidentium. Omisissis er-
go his omnibus, grauior nobis hoc loco suscipitur
disputatio, & maxime propria huius doctrinæ, & ad
plura Theologiæ mysteria in primis necessaria. In qua
primo explicabimus terminos, deinde ad propria sup-
positi rationem, & distinctionem eius à natura de-
clarabimus: ac tandem ad secundas substantias do-
ctrinam applicabimus, communemque rationem ac
coordinationem prædicamenti substantiæ conclu-
demus.

SECTIO I.

*Utrum prima substantia sit idem quod suppositum
aut persona vel hypostasis.*

SUPpono sermonem esse de substantia
creata, de qua est tota hæc disputatio.
Nam de supposito & substantia in
diuina & increata natura, ex princi-
piis mere naturalibus fere nihil dici
potest, cum ex cognitione mystici Trinitatis maxi-
me pendeat. Dicimus autem latius hæc de re in primo
tomo 3. part. Disp. 11. Vbi ostendimus, in diuina natu-
ra non esse omnino idem secundum rationem esse
per se subsistens, & esse suppositum, nam datur in Deo
natura per se subsistens, & communicabilis multis
suppositis, de ratione autem suppositi est vt sit in-
communicabilis alteri supposito. Secus autem est in na-
tura creata vt ex dicendis constabit. Quia vero Theo-
logici locutiones in hac materia lucem magnam af-
ferre possunt ad intelligendos hos terminos in crea-
turis, ideo nonnulla breuiter circa Deum supponen-
da sunt.

*Explicatur usus harum vocum in re-
bus diuinis.*

Primo igitur statuendum est dari in Deo vnā sin-
gularem substantiam communem secundum rem
tribus personis, ratione cuius tres personæ consub-
stantiales dicuntur, & in hoc sensu in Concilio Ni-
ceno definitum est, Patrem & Filium esse quod est, id
est, eiusdem substantiæ, & in symbolo Athanasij di-
citur, Non diuidentes personas, neque substantiam separan-
tes, & ita loquuntur passim Concilia & sancti Patres.
Non potest autem admitti, quod sit in Deo vnū
suppositum commune tribus personis, quia hoc esset
confundere tres personas in vnā personam vel hy-
postasim, quod est etiam contra fidei definitionem. *1. Synodus
act. 4. & 11.
Concil. To-
postasim, quod est etiam contra fidei definitionem. 1. XI. 8. 16. 17.
Vnde merito inter Theologos reprehenditur Caieta-
nus, quod aliquo modo admiserit vnū suppositum
commune tribus personis, quanquam non sim-
pliciter, sed cum addito id dixerit, scilicet suppositum
incompletum, vel personam incompletam. Hæc
enim locutio & Theologorum aures offendit, quia
non solum inuitata est apud Patres, verum etiam ab
eorum modo loquendi aliena. Et in rigore est falsa,
quia ratio suppositi repugnat cum communicabili-
tate diuine substantiæ, vt latius in prædicta disputat.
contra Caietanum differui.*

Nihilominus et si non ita certum sit, probabilius
tamen ac verius existimamus illam substantiam sin-
gularem, quæ communis est tribus personis, vt sic
subsistentem illæ ex se & essentialiter, habereque vnā
substantiam absolutam & essentialem tribus
personis communem, hæc enim sententia commu-
niter recepta est à Theologis vtriusque Scholæ D.
Thom. & Scoti, & ab aliis etiam. Et modus ipse lo-
quendi magnum fundamentum habet etiam in an-
tiquis Patribus dicentibus diuinas personas habere
vnitatem in natura ex se subsistente, imo & in sub-
sistentia naturæ, vt loquitur aliquando Hilarius, &

*1. Synodus
act. 4. & 11.
Concil. To-
postasim, quod est etiam contra fidei definitionem. 1. XI. 8. 16. 17.
Vnde merito inter Theologos reprehenditur Caieta-
nus, quod aliquo modo admiserit vnū suppositum
commune tribus personis, quanquam non sim-
pliciter, sed cum addito id dixerit, scilicet suppositum
incompletum, vel personam incompletam. Hæc
enim locutio & Theologorum aures offendit, quia
non solum inuitata est apud Patres, verum etiam ab
eorum modo loquendi aliena. Et in rigore est falsa,
quia ratio suppositi repugnat cum communicabili-
tate diuine substantiæ, vt latius in prædicta disputat.
contra Caietanum differui.*

*Hilarius 71
de Trinitate.*

Agath. in 6.
Synod. ad 4.

inducat Agatho P. iuxta lectionem antiquiorem, quæ omnia cum multis aliis latius retuli in dicta disputat. 11.

IV.

Atque hinc fieri videtur concedi posse, & debere, Deum, seu hunc Deum, qui communis est tribus personis esse primam substantiam, non ut dicitur à substantiâ, sed ut rem singularem per se subsistentem significat, neque ut dicitur relationem ad secundam, quomodo sola substantia prædicamentalis, & finita est prima substantia, sed ut dicitur negationem prioris, & talem indicat seu describit substantiam, quæ per se primo habeat per se esse, & non in aliquo à quo in suo esse pendeat: hoc enim tantum propriissime significat prima substantia, atque hoc totum convenit divinæ essentia in solis absolutis & essentialibus præcisè conceptæ, ut in citato loco probatum est. Quo tandem fit, ut in Deo non sint omnino idem secundum rationem prima substantia, & suppositum seu persona, nam prima substantia ut sic non includit necessario incommunicabilitatem, sed solum quod fit per se subsistens, seu singularis, vel indivisa: suppositum vero addit incommunicabilitatem, & distinctionem ab aliis suppositis eiusdem naturæ, ut notavit D. Thom. quæst. 9. de pot. artic. 5. ad 13. & ideo, quamvis tres personæ non sint unum suppositum, possunt tamen dici una prima substantia, quia sunt una substantia incompleta & imperfecta, singularis indivisa, ac per se subsistens. Dices: unaquæque persona est prima substantia, & proprie subsistit huic Deo prædicatione, ut cum dicitur, Pater est Deus, & Filius est hic Deus, ergo hic Deus est non est prima substantia, quia dicitur de subiecto, quod repugnat definitioni primæ substantiæ. Resp. Hunc Deum non prædicari de divina persona: ut de subiecto, id est, ut de inferiori quidditate, sed ut de habente eandem numero naturam, & ideo tam hic Deus quam persona divina est prima substantia. Verum est, hanc locutionem sub nomine primæ substantiæ non esse adeo vlitatam in antiquis Patribus: tamen quia, dum dicunt tres personæ esse unam substantiam (subsistentem, non loquuntur abstracte & confuse, sed de singulari substantia divinæ naturæ, in qua quidquid est, essentialiter singulare est & indivisum, ideo æquivalens est illæ locutio. Quamquam expediens sit illam vocem primæ substantiæ, quoniam æquivoca esse potest, & pro supposito sumi, vel vitari in simili locutione, vel aliquid ei addere, quo æquivocatio auferatur, ut si dicamus personæ esse primam substantiam realiter communicabilem, vel aliquid huiusmodi.

V.

VI. Synod.
Adione 11.
VII. Synod.
act. 3.

Atque idem consulendum censerem de hac locutione. In Deo est una substantia, seu, Tres personæ sunt una substantia, quia hoc nomen substantia, æquivocum est, & interdum accipitur ex vi abstracti pro ratione subsistendi, etiam in Conciliis, interdum vero ac sepius in vi concreti pro re subsistente, & hoc modo frequentissime sumitur pro supposito incommunicabiliter subsistente, quod Græce hypostasis appellatur, atque ita Latinus interpret Conciliorum loco huius vocis hypostasis substantiam sæpius vertit. Quapropter ex Scholasticis Capreol. in 1. d. 26. artic. 3. ad arg. Durand. cont. 1. concl. & ad arg. Aureol. cont. 3. concl. admittit in Deo unum subsistere absolutum, non tamen unam substantiam absolutam, quia substantia includit incommunicabilitatem, non vero subsistere. Quod non videtur mihi adeo consequenter dictum, nam substantia à subsistendo dicta est. Vnde omnis res, quæ per se subsistit, potest dici substantia, ut ait D. Thom. quæst. de potent. artic. 1. ad 4. Vnde eadem ambiguitas, quæ est in voce substantia, potest etiam esse in verbo subsistere: igitur, licet in Deo non sit una substantia sumpta pro supposito: est tamen una substantia absolute sumpta pro re per se subsistente, etiam si communicabiliter subsistat. Quam si-

gnificationem vel expresse vel tacite explicare semper oportet, ne detur occasio vel suspicio erroris.

Denique idem censendum est de nomine substantiæ in plurali dicto, scilicet in Deo sunt tres substantiæ: vel tres primæ substantiæ: est enim æquivoce hoc substantiæ nomen, & sæpe significat essentiam, ut in prima sectione notavimus, & potest etiam significare suppositum, & maxime si addatur prima substantia, quia suppositum maxime per se subsistit. Vnde in hac significatione admitti possunt tres substantiæ in Deo, non vero in priori. Et propter hanc æquivocationem vitandam multi ex antiquis Patribus negarunt hanc locutionem, ne viderentur Ario consentire, qui essentias in Trinitate multiplicabat, quo sensu dixit Hieronymus ad Damasum, Quis audeat ore sacrilego tres substantias in Deo concedere? Et ita D. Thom. 1. part. quæst. 30. artic. 1. ad 1. dicit iuxta consuetudinem Ecclesiæ non esse absolute dicendas tres substantias propter nominis æquivocationem: addendo vero aliquid, quod determinet significationem, dici posse, ut si dicamus tres substantias incommunicabiles, seu relativas. Et hæc de divinis.

Explicantur dicti termini in rebus creatis.

Ex his ad creaturas descendendo, dicendum est primo, primam substantiam solum dici de substantia singulari, indivisa, ac per se subsistente. Probatur ex dictis sectione præcedenti: nam quod prima substantia dicit rem singularem & indivisam, constat tum ex divisione, in qua opponitur secundæ substantiæ, quæ species & genera complectitur, tum ex illa particula definitionis primæ substantiæ, scilicet quæ nec de subiecto dicitur, nam per hanc particulam logicè describit Aristoteles substantiam singularem, quæ de nullo subiecto, vel supposito proprie ac per se prædicatur, propter singularitatem & incommunicabilitatem suam: propositio enim identica non est propria prædicatio. Denique illa particula prima prout includit negationem prioris in subsistendo etiam secundum rationem, satis declarat primam substantiam debere esse singularem, & indivisam. Quod vero prima substantia requiratur etiam rem per se subsistentem constat in primis ex dictis in fine sectionis præcedentis, uti ostendimus primam substantiam proprie dictam significare substantiam completam, nulla autem substantia singularis est completa nisi subsistens sit. Item, teste Aristotele prima substantia primo, præcipue ac maxime substantia dicitur: sed solum id quod subsistit, maxime ac propriissime substantia dicitur: ergo. Denique prima substantia est, quæ maxime subsistat, tum Physice ac realiter: tum etiam logicè: sed hoc etiam proprie convenit rei singulari per se subsistenti: ergo sola prima substantia per se subsistens potest proprie dici prima substantia.

Ex quo colligitur, substantialem naturam prout in abstracto significatur, etiam si singularis sit, ut hæc humanitas, seu Petreitas, non esse primam substantiam, quia nec significatur ut subsistens, nec revera est formaliter subsistens, ex vi ipsius naturæ singularis præcisè sumptæ, ut infra ostendimus. Quin potius univ ersaliter sequitur, substantiam prout in creaturis significatur præcisè essentiam, etiam substantialem & singularem non esse primam substantiam, quia ex vi solius essentia seu naturæ, etiam ut singularis & indivisa, non est completa substantia neque subsistens. Quod fortasse vix posse intelligi aut credi intra limites naturalis luminis sistendo, ex sacro tamen Incarnationis mysterio facis nobis manifestatum est, ut sequenti sectione latius declarabimus.

Prima

V. Synod. col.
lac. 3.
VI. Synod.
act. 11. Conc.
Ephesian.

*Prima substantia & suppositum in creaturis
conuertuntur.*

Secundo dicendum est, primam substantiam & suppositum in creaturis recipere dici, imo in re idem omnino esse. Probatur, quia in rebus creatis non potest esse natura substantialis singularis, & indiuidua communicabilis multis personis: est enim hoc proprium naturae infinitae. Multo ergo minus potest esse natura creata singularis & subsistens, & realiter communicabilis multis, quia cum subsistentia creata sit naturae eius proportionata, si natura indiuidua incommunicabilis est, etiam eius subsistentia. Imo ipsa subsistentia quodammodo est magis incommunicabilis, ut ex dicendis constabit. Sicutigitur omnis prima substantia creata incommunicabilis est omnis ergo prima substantia creata, est suppositum. Et e contrario etiam omne suppositum creatum est prima substantia, nam est substantia completa singularis: ac per se subsistens: dicuntur ergo hae reciproce in creaturis. Quod autem sint idem re, constat, quia subsistentia creata ab intrinseco est incommunicabilis alicui personae praeter eam, quam constituit, propter rationem dictam, quia est finita. Atque ita, dum constituit rem singularem subsistentem, constituit incommunicabilem: ergo dum constituit primam substantiam, constituit etiam suppositum, sunt ergo idem in rebus creatis prima substantia, & suppositum.

Dices, quamuis natura creata singularis sit naturaliter incommunicabilis multis personis, supernaturaliter tamen communicari potest, & in multis personis subsistere, iuxta probabiliorum opinionem Theologorum dicentium posse plures personas diuinas eandem naturam creatam assumere: suppositum autem creatum omnino incommunicabile est, etiam de potentia absoluta: ergo saltem ob hanc causam non erunt omnino idem in creaturis prima substantia & suppositum. Respondetur negando consequentiam, quia etiam si una natura creata assumeretur a pluribus personis, illa non esset prima substantia, quia non esset subsistens, sed per assumptionem traheretur ad subsistendum: unde argumentum solum probat, in rebus creatis ita distinguere naturam & primam substantiam, sicut naturam & suppositum, idemque argumentum sumi posset ex sola incarnatione vnus personae, cui natura humana quodammodo communicatur, cum illi vnitur, cui tamen non possit vniri prima substantia, vel suppositum creatum.

Dices rursus, sicut assumpta est natura sine personalitate & subsistentia creata, ita posset etiam assumi natura cum subsistentia & sine illa incommunicabilitate, quae est de ratione suppositi, sic ergo natura assumpta esset subsistens, & consequenter prima substantia: & non esset suppositum, quia non esset incommunicabilis alicui supposito: ergo distinguuntur in creatura prima substantia & suppositum plusquam ratione, esto sint naturaliter coniuncta. Respondetur assumptum esse prorsus impossibile propter duo. Primum est, quia subsistentia finita est incommunicabilis ex hoc praecise quod finita est, & ex sua quasi essentiali vel specifica ratione: fieri autem non potest ut talis subsistentia maneat in rerum natura, quin sit finita & creata. Imo fieri non potest ut conseruetur in humanitate propria subsistentia, quin conseruetur in eadem specie, imo eadem numero: incommunicabilitas autem talis subsistentiae non est aliquid ei additum, sed est intrinseca, & essentialis limitatio eius, & ideo apertam contradictionem inuoluit, quod maneat talis subsistentia sine incommunicabilitate. Secunda ratio, quae praecedentem magis declarat, est, quia duobus modis potest intelligi subsistentia realiter communicabilis suppo-

sito: vno modo per intimam identitatem, & quasi inclusionem in re vel rebus quibus communicatur: & hic modus communicationis repugnat omnino subsistentiae creatae, quia est contra limitationem eius: estque hic modus proprius subsistentiae diuinae absoluta, nam vni correlatiue conuenire non potest respectu alterius, propter oppositionem. Alio modo potest intelligi communicatio per aliquem modum vnionis, & hoc modo omnis subsistentia, hoc ipso quod subsistentia est, incommunicabilis est alteri personae: quia sic communicari inuoluit apertam contradictionem repugnantem ipsi rationi subsistentiae, quae essentialiter includit independentiam ab alio sustentante, seu subsistente, ut in sequentibus exponemus latius. Quia ergo natura creata non potest communicari vel assumi a persona increata per intimam identitatem, ut per se notum est, relinquitur ut solum assumi possit mediante aliquo modo vnionis & consequenter ut non possit assumi, quatenus subsistens est. Nullo ergo modo fieri potest etiam per potentiam Dei absolutam, ut conseruetur in re singularis substantia creata in ratione primae substantiae creatae, id est, subsistentis creati, quin sit etiam suppositum creatum: sunt ergo hae duo in re omnino idem. Dico autem semper in ratione substantiae creatae, quia iuxta probabilem opinionem posset hic Deus assumere humanam naturam ad subsistentiam essentialem praecise, & tunc ille homo esset prima substantia, quia esset singularis homo subsistens, & ut sic non esset persona, quia esset communicabilis tribus personis: tamen ille homo simpliciter non esset prima substantia creata eadem ratione, qua Christus Dominus est persona creata, imo nec creatura, simpliciter loquendo.

Sed quaeres, An suppositum & prima substantia in rebus creatis distinguantur saltem ratione. Respondetur secundum rem conceptam proprie nec ratione distinguui, quamuis secundum modum concipiendi aut explicandi aliquam proprietatem magis vel minus distincte aut confuse, possint distinguui ratione ex parte concipientis. Declaratur, quia etiam secundum rationem non concipimus, per vnam formam aut modum vel terminum constitui rem creatam in ratione primae substantiae, & per aliam in ratione suppositi, sed per eandem omnino, ut declaratum est. Illa vero res sub conceptu primae substantiae concipitur quidem sub ratione singulariter subsistentis, non tamen ita expresse sub ratione incommunicabilis: unde ille conceptus primae substantiae si nil aliud addatur de se abstrahit ab incommunicabilitate, si vero addatur quod creata sit, implicite quidem, quasi materialiter dicitur eius incommunicabilitas, non vero tam formaliter & expresse, sicut in nomine & ratione suppositi declaratur. Et in hoc consistit propria differentia inter Deum & creaturas, quia in Deo ita distinguuntur ratione aliqua prima substantia a diuinis suppositis, ut in Deo intelligatur aliqua substantia singularis & completa in tota sua ratione essentiali absque eo quod in suo conceptu essentiali incommunicabilitatem includat, quod est proprium Dei propter infinitatem eius.

*Quomodo comparetur persona ad suppositum,
& primam substantiam.*

Dico tertio: Persona idem est quod prima substantia vel suppositum, solumque determinat illam rationem ad naturam intellectualem seu rationalem. Sententia est communis Theologorum ex illa definitione Boetii in libr. de duabus naturis. Persona est rationalis natura indiuidua substantia, id est, substantia prima talis naturae, ut recte declarat D. Thom. 1. part. q. 29. artic. 1. & 2. Unde frequenter dicitur, personam & suppositum differre quasi materialiter

XII.

XIII.

rialiter ex parte naturæ; non vero formaliter in ratione & modo incommunicabiliter subsistendi. Quod quidem est verum quoad generalem rationem primæ substantiæ vel suppositi: tamen quia intellectus & alioris rationis ab inferioribus naturis: ideo dici potest persona differri à supposito etiam in ratione subsistendi, tanquam particulare à communi, seu tanquam dignissima species à communi genere. Non quod propria ratio generis & speciei in his reperiatur, sed proportionalis, nam intellectualis natura, si sit pure ac perfecte intellectualis, habet subsistentiam omnino immaterialem, si vero sit rationalis, simulque sensibilis ac corporalis, et etiam habet subsistentiam spirituales, vel saltem compositam ex aliquare materiali & spiritali, ut inferius declarabimus: hoc ergo modo differret persona à supposito in communi.

De hypostasi.

XIV. Deo quarto Hypostasis iuxta frequentiore huius vocis usum, idem est quod suppositum, vel persona. Hæc assertio solum pendet ex notitia & significatione huius vocis *hypostasis*, quæ Græca est, & varias habet significationes. Derivata enim est vox illa à verbo græco, *hypo*, vel, *is*, quæ cum præpositione, vnde quod subesse, vel subitare significare potest, vnde hypostasis olim significabat id omne, quod aliis subidet, ut feces, vel materiam crassam, quæ in liquorum fundo subidet, quomodo intelligi potest illud Psal. 67. *Insistentem in limo profundis, & non est substantia*, græce *hypostasis*, id est, & non est fundum, in quo consistit. Significat deinde rei fundamentum, ut de fide ait Paul. ad Hebr. 11. *Est substantia rerum sperandarum*, græce, *hypostasis*, id est, fundamentum. Verum quia subsistere proprie convenit substantiæ, & illa est quasi fundamentum omnis rei existentis, ideo hæc vox derivata est ad substantiam significandam, vel absolute, vel specialiter substantiam singularem, & incommunicabilem, ut notavit Damasc. in sua Dialecticæ capit. 29. Vnde quia vox Latina, *substantia*, æquiuoca est, & essentiam interdum significat, ideo interdum usurpata est illa vox ad essentiam significandam, ut notat Elias Cretenensis in orat. 23. Nazianzen. §. illud item præscribere, & constat ex Theodoro lib. 2. histor. capit. 8. Et hac ratione D. Hieronymus citata epistola ad Damasum, recusabat tres hypostases in Trinitate concedere, quod etiam de Paulino refert Acacius in epistol. ad Cyrill. Alexand. Iam vero ad tollendam hæc æquiuocationem tam usu græcorum quam latinorum harum vocum significationes definitæ, & distinctæ sunt. Substantialis enim natura, quatenus à supposito vel ratione distinguitur, græce vocatur *Usia*, latine essentia. Substantia vero singulariter subsistens, & incommunicabilis aliis similibus substantiis, sicut latine dicitur suppositum & persona, ita Græce vocatur hypostasis, vnde sicut nos tres personas, ita Græci tres hypostases in Trinitate admittunt, & hoc modo levis discordia, quæ ob vocabulorum inopiam inter Catholicos Latinos, & Græcos, oriri coepit, cessauit, ut eleganter dixit Gregorius Nazianz. orat. 21. quæ est in laudem Athanasii circa finem. Iam ergo communi usu, etiam Latinorum vox hypostasis in hac ultima significatione fere semper usurpatur. Et interdum generaliter accipitur, ut significat rem subsistentem incommunicabiliter in quacunque natura, & ita idem significat quod suppositum, & hoc modo ait D. Thom. personam addere supra hypostasin, determinatam naturam scilicet rationalem qu. 9. de potentia artien. 1. in fine corporis: aliquando vero ut ibidem in solutione ad secundum addit, licet nomen hypostasis in Græco ex proprietate sermonis significat indiuiduum substan-

tiam cuiusque naturæ, ex usu loquentium significat indiuiduum rationalis naturæ tantum. Sicigitur constat quomodo idem sit hypostasis quod persona iuxta varias significationes.

Addit vero ibidem D. Thomas, hypostasin & subsistentiam esse idem secundum rem, differre tamen ratione: eadem enim prima substantia quatenus subsistit dicitur subsistentia, quatenus vero substat, dicitur hypostasis. Sed, quod ad nomen hypostasis attinet, licet fortasse ab illa habitudine impositum sit, non tamen illam significat, imo nec semper in re significat illam requirit: diuinæ enim personæ sunt propriissime hypostases, quamvis non subsistent. Imo etiam quoad etymologiam, quamvis hypostasis dicatur quasi *substantia*, nihilominus dici potuit à subsistendo, nam, ut alibi dixit idem D. Thom. subsistere dicitur aliquid in quantum est sub esse suo, non quod habeat esse in aliquo sicut in subiecto, sed quod, cum per se sit, & quasi in se sustentetur, ipsum sit quod si primum subiectum, seu fundamentum sui esse. Quod vero attinet ad nomen subsistentiæ, iam dictum est supra, si sumatur in vi abstracti, non significare ipsam rem subsistentem, sed rationem subsistendi, quæ si in communicabilitatem includat, est etiam ratio constituens hypostasin, si vero sumatur in vi concreti & incommunicabilis subsistentia, idem est quod hypostasis, & suppositum. Alioquin ex vi significationis & rationis significatæ latius patet subsistentiam quam hypostasis, saltem in Deo, in quo potest esse subsistentia communicabilis: in creaturis vero conuertuntur, & eodem modo inter se comparantur, quo prima substantia & suppositum, propter easdem rationes superius factas.

SECTIO II.

An in creaturis suppositum addat naturæ aliquid positum reale, & ex naturæ rei distinctum ab illa.



Explicitis terminis, de re ipsa dicere oportet, & quod de supposito quæritur respectu naturæ seu essentia substantialis, intelligendum est de persona respectu naturæ rationalis, & de ceteris eadem proportionem, quibusque nominibus significatur.

Explicatur quæstionis titulus, & variæ quæstiones proponuntur.

UT autem quæstionis titulus distinctius intelligatur, aduertendum est, essentiam substantiæ creatæ variis modis concipi ac significari posse, scilicet, in concreto, & in abstracto, ut cum dicimus humanitatem esse essentiam Petri, aut hominem. Item in communi, ut in dictis exemplis, vel in singulari ut cum dicitur hæc humanitas esse de essentia huius hominis, Christi verbi gratia. Item vel conceptu simpliciter & quasi confuso, ut cum species dicitur esse essentia indiuidui, ut homo Petri, vel conceptu complexo & distincto, qui per definitionem declaratur, ut cum dicimur essentiam hominis esse animal rationale. Ex quibus concipiendi modis variæ insurgunt comparationes, & quæstiones. Prima est abstracti ad concretum in particulari & singulari, ut quomodo distinguatur hic homo Petrus ab hac humanitate. Secunda est abstracti etiam ad concretum in communi, ut quomodo homo & humanitas distinguantur. Et similiter in ceteris prædicatis communibus cum eadem proportionem. Tertia, comparando essentiam in communi ad indiuiduum & particulare, ut quomodo distinguatur homo à Petro seu hoc homine. Et posset etiam hæc comparatio per concretæ & ab-